



Prot. N. 939/21/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis a Rev.do P. Michaële M. Krysztofowicz, Superiore Generali Congregationis Fratrum Consolatorum de Gethsemani, in centesimo anniversario eiusdem Congregationis, cuius praecipua sedes in Slovachia exstat, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a Patribus, sodalibus ipsius Congregationis et omnibus christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die VII Aprilis MMXXII usque ad diem VII Aprilis MMXXIII lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Domus Matricis sacellum vel quodlibet templum praefatae Congregationi ubicumque spectans, in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilantibus ritibus devote interfuerint vel saltem coram Sanctissimo Sacramento publicae adorationi exposito per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Beatae Mariae Virginis.

Senes, infirmi necnon eos curantes, in carcere detenti omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilantibus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut Patres ex Congregatione Fratrum Consolatorum de Gethsemani, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XXII mensis Februarii, anno Domini MMXXII.

*Maurus Card. Piaccani
Paenitentiarum major*

*Christophorus Nykci
Regens.*